

VII. De Legionibus *Epistola, ad Virum Clarissimum Doctissimumque Hans Sloane, M. D. Regiæ Societati a Secretis, Coll. Medd. Lond. Sodalem, et Medicum Regium, data, a Guil. Musgrave, M. D.*

POST tot tantosque Auctores, qui de re militari *Romanorum*, et in ea de Legionibus scripserunt, et quidem enucleate, supervacaneum existimari potest et actum agi, siquid amplius hujusmodi tentaretur: Cum vero in componendo, ad *Julij Vitalis*, Vicesimani Epitaphium, Commentatio, *Legionum* Historiam inspicere, necesse habuerim; et in *Lipso, Savilio, Salmasio, Robertello, Rosino* (ne dicam alios, eruditione et doctrina claros) hanc ob causam excutiendis, alia non satis explicata, alia minus sana et auxilium postulantia, tradi repererim; in animum venit, Animadversa nostra chartae mandare, et, uti Studiorum et Vitae ratio occupatae sineret, in unum colligere. Habes igitur, Vir doctissime, quod in hoc genere lucubravi, de *Legionibus* Spicilegium, *Julij Vitalis* ergo collectum; Tibi vero, tanquam amoris et observantiae in Te meae monumentum, tanquam optimo eorum et Judici et Patrono, cui omne Literarum genus est in pretio, inscriptum. Hisce præfatis, sine mora rem aggredior.

LEGIO res, et vox *Romana* est, a legendo milites in dilectu (1) sumta. *Legionum* ante *Augustum Caesarem*, alius omnino status ac conditio fuit, atque post illum Imperatorem: sive earum *Numerum*, sive militum in earum singulis contentorum (de his duobus verba præcipue facturus sum) animo contemplerur.

ANTE

(1) Varro de L. L. Lib. IV.

ANTE *Augustum* illae Ducum erant. notae in gerenda repub. eximiae virorum, et ab iis, a quibus seu dilectae, sive rectae fuerunt, aliquando *Nomina* cepere. *Legiones* a *Valerio Flacco* conscriptae, ab eo dictae sunt (2) *Valerianae*; sed cum iisdem imperitavit *Fimbria*, dictae sunt ab eo (3) *Fimbrianae*.

MILITUM in *Legione* numerus stante Repub. dubius, alias major, alias minor fuit; sed qui, maxima ex parte, gradatim auctus: Ita vero, ut plerumque minor, quam sub Imperatoribus inveniretur. *Romuli* prima *Legio* Peditum tria millia, secundum *Varronem*, est complexa, [*Milites* (4), ait, quod trium millium primo *Legio* fiebat.] *Plutarchus* (5) hisce trecentos Equites adjecit. Postea pro usu Reipub. et Senatus arbitrio, ad quatuor (6) millia, ad quingentos (7) supra quatuor millia, ad quina (8) millia et ducenos Pedites, ad sena Peditum millia, et Equites trecenos, accrevit. Id autem, quod diligenter observandum, non ex *Romanorum* more usitato, et communi usu, vel lege aliqua, sed vel ex periculo quodam imminente, (ut in *Bellis Punico* (9), *Macedonico* (10), *Mithridatico* (11),) vel Imperatoris (uti *Marii*, in Bello (12) *Jugurthino*; *Antonii*, in Bello (13) *civili*) auctoritate, non ex Senatus decreto factum esse liquet.

HIS, de militum in *Legione* numero, sub Regibus et Reipub. initio dictis, adversari censentur ea, quae ex *Plutarcho* et *Eutropio* citantur. A *Plutarcho* (14) scrip-

M

tum

(2) *Sallustii* Fragmenta, et ad ea *Douzae* Notas. Cantabrigiae, MDCCLX. pag. 73. (3) Pag. 74. (4) *Varro* de L. L. Lib. IV. (5) In *Romulo*. (6) *Livii* Lib. VI. Cap. XXII. (7) Lib. VII. Cap. XXV. (8) Lib. XLII. Cap. XXXI. Cum quina millia et duceni pedites ex veteri instituto darentur in Singulas *Legiones*. Vide ad hunc locum Doctissimi *Perizonii* notam. (9) *Livii* L. XXIX. Cap. XXV. (10) L. XLII. Cap. XXXI. (11) *Appianus* de *Bellis Civilibus*, Lib. IV. (12) *Sallustii* *Bellum Jugurthinum* § XCI. *Rosini* *Antiquitates Rom.* Lib. X. Cap. IV. (13) *Appianus* *Alex.* de *Bellis Civilibus*, L. V. (14) In *Romulo*.

tum est Διπλασιαθείσης ἢ τῆς πόλεως, ἐξαίρον μὲν ἐκ Σαβίνων παλαιοὶ περικαλειέχθησαν, αἱ δὲ λεγόμεναι ἐγένοντο, πρὸς μὲν ἑξακισμίων, ἰππέων δὲ ἑξακοσίων. Id est, *Civitate jam in duplum aucta, Sabinis ea donatis, ex iis alios centum Patricios eligebant: Legiones autem fiebant Peditum sex millium, Equitum vero sexcentorum.* Quae utique verba moras *Stemechio, Savilio, Rosino, Panvinio, Sigonio* facientia, ex *Dionys. (15) Halicarnassensi* optime nostra quidem opinione sic explicantur. Erant *Romulo*, post odiosam illam cum *Remo* fratre pugnam, e veteribus colonis, qui cum eo *Romam* condidere, quasi tria Peditum millia, pauciores quam trecenti Equites. Civitate vero duplicata, et cum ea similiter Patriciorum numero, duplicata etiam est Militia: Sic, ut *Plutarchus* non tam de numero militum in una eademque Legione, quam de numero Legionum aucto (pariter atque de aucta Civitate, et de numero patriciorum aucto) itaque de militibus in iis συναθροισμαίσις intellegi mereatur. Quae quidem ejus significatio, illorum temporum mori cum primis convenit: Certissimum enim est (imo quidem, ipso tradente *Plutarcho (16)*, certissimum) Legionem a *Romulo*, quod ante dixi, institutam, Peditum fuisse trium millium, Equitum trecentorum. Unum errasse videtur Historicus, in re militari non nimis accuratus, quod primas *Romuli* Legiones συντάγματα τετρακισία, referat in plurali numero; quando diligentissimus investigator antiquitatis, *Varro [trium millium, (17) ait, primo Legio fiebat, ac singulae Tribus Tatiensium, Ramnium, Lucerum millia singula militum mittebant:]* quod de unica tantummodo Legione subintellegendum, et lucem isti foenerat interpretationi. *Optimi*
Scriptoris

(15) *Dionys. Halicarnassens. Lib. II. § 16.* (16) *In Romulo. Κριθείσης τῆς πόλεως, πρὸς μὲν ἑξακισμίων ἐν ἡλικίᾳ πλῆθος. εἰς συντάγματα τετρακισία διετέλεν.* "Ἐκαστὸν δὲ σύνταγμα πρὸς ἑνὶ τετρακισίῳ ἢ, καὶ τετρακισίῳ ἰππέων."
(17) *Varro de Lingua Lat. Lib. 4to.*

Scriptoris (scil. Plutarchi) *bonam hanc mentem mavult* Lipseus (18), [*Romulum duplicasse Legiones populo jam duplici, et binas fecisse tot milliam.*]

EUTROPII dictum (19) est [*Cum Latini, qui a Romanis subacti erant, milites prestare nollent, ex Romanis tantum tirones lecti sunt, factaeque Legiones decem, qui modus sexaginta vel amplius armatorum millia efficiebat.*] Fallitur, inquit doctissima Faeminarum Anna (20), et ita errasse *Eutropium* miratur, cum expresse *Livius* (21) hac de re [*Ubique non urbana tantum, sed etiam agresti juventute decem Legiones scriptae dicuntur, quaternum millium et ducentorum peditum, equitumque trecentorum.*] Ego potius, quamvis a Femina tam illustri dissentire vix sustineam, *Eutropii* manuscripti exscriptorem errasse puto; (neque enim Historicus, diligenter magna ex parte et accurate scribens, levi de causa temereque arguendus,) et quidem hunc in modum errasse. Scripsisse videtur *Eutropius* [XL, vel amplius armatorum millia.] Exscriptor autem, literas numerales, quod in preclivi est, transponendo [LX.] Hoc cum *Livio*, unde id hausisse videtur *Eutropius*, adhaesivissimum quadrat.

ALIUD est, quod a significatione vocis *Centuria* ductum, opinioni de militum in Legione sub prima Republicae paucitate, videatur oppugnare; *Varro* (22) ait [*Centuriae, quae sub uno Centurione sunt, quorum Centenarius iustus numerus:*] Hac Etymologia quidam, sed nec ij de Literatorum vulgo, freti, cum Legio Centuriones habet sexaginta, quod ita esse Lex iussit (testante *Dionysio* (23) *Halicarnassensi*, et apud *A. Gellium Cincio* (24), ducto sexagesimo in centesimum numero, *Legionem* militum sex

M 2

millia,

(18) De Militia Rom. Lib. I. Dial. V. (19) Lib. II. §. VI. (20) In ad eum Eutropii locum Notis. (21) Lib. VII. Cap. XXV. (22) Loco jam citato. (23) Antiq. Roman. IX. Cap. X. (24) Noct. Attic. Lib. XVI. Cap. IV.

millia, quasi calculi auctoritate, continere pronunciant. Sic a non nemine dicitur [*Legio sexaginta Centuriarum, seu sex millium.*] At minime novum est, voces a prima significatione plurimum desciscere. Vocem hanc *Centuriam*, utut de numero centenario primum usurpatam, successu temporis de numero multo minori fuisse dictam, ex *Tacito* (25) patet. Milites in seditione *Germanica* sub *Tiberio* saevitiam Centurionum ulciscentes, [*in eos invadunt, prostratos verberibus mulcant sexageni singulos, ut numerum Centurionum adaequarent.*] Manifestum hic sexagenis solum praefuisse Centurionem. Quid quod isthuc verbo tenus argumentum, nequaquam ipsa cum re concordet: cum in omni *Romana* Historia, quae *initio reipub.* militum sex millia comprehendat, Legio nulla reperiatur.

SUB exitum *Reipub.* cum, é viris in ea principalibus, suo fere quisque usus est ingenio, *Luculli* (26) Legiones habuerunt singulae sex millia Peditum, trecentos Equites. *Caesaris* Legiones millium erant ternorum: [*Caesar cum Legionibus quæ terna millia militum Itatorum habuerunt, Gallias subegit.*] Ita *Sextus Rufus* [27]. Nobilis *Savilius*, nescio qua auctoritate, legit *quaterna*. *Antonius* (28) post Proelium *Philippicum* de Legionibus, μετὰ τῶν συντασσόμενων, id est, militis auxiliis, ita scripsit, ut Legionum singula sex millium sit; adeoque sine auxiliis, trium. Idem in *Luculli* Legionibus suspicandum arbitror, adnumerari scil. Auxilia; et ad numerum ter millesimum eas, per se consideratas, redigi oportere.

ALIA sub *Caesaribus* Legio fuit, ut in aliis plerisque rebus, ita praesertim in numero militum; qui jam inde, *Caesarum* mandato, maxima ex parte sexies millesimus, interdum eo major invenitur. Hoc ex *Vegetio* manifestum

(25) *Annalium* Lib. I. Cap. XXXIII. (26) *Appian.* de Bellis *Mithridat.* pag 368. (27) in *Breviario*. (28) *Appian.* de Bellis *Civilibus*. Lib. V. p. 1075. Ed. *Amst.* MDCLXX.

stum est, de hac re ita verba faciente (29), [Romani *Legiones habent, in quibus singulis sena millia, interdum amplius militare consueverunt;*] et (30) alio loco [*Legio plena habet Pedites sex millia centum, Equites septingentos viginti sex.*] Non de suo tantum aevo *Vegetius* haec scripsisse judicandus, sed de illorum, a quibus suam de re militari conscripsit Epitomen: in quorum numero fuit *Cornelius Celsus*; de quo *Volaterranus* (31), [*Cornelius Celsus, inquit, de Arte Rhetorica, de re militari, de re rustica, deque medicina libros conscripsit, verum ad nos tantum pervenit ejus medicina, oratorio modo conscripta.*] Ipsius etiam *Augusti* de re militari Constitutiones (quarum una a *Macro J. C.* in *Pandectis* (32) servata est) *Vegetius* se evoluisse narrat. Quinimo profitetur (33) [*Nibil sibi auctoritatis assumere, sed horum quos supra retulit, quae dispersa sunt (in Catone, Celso, Frontino, Augusti, Trajani, Adrianique Constitutionibus) velut in ordinem epitomata conscribere.*] Quare verisimile duco, sub *Augusto*, vel *Tiberio*, (quo Imperante *Celsus* scripsit) militum in *Legione* numerum ad sexies millesimum augeri, et nunquam post attenuari, eoque numero minorem reddi; quod partim ex *Frontino*, partim ex eo junioribus *Modesto*, *Hesychio*, et *Suida* patet. *Modestus* (34) ait [*Is decem Cohortibus Legio plena fundatur, quae habet Pedites VI Mill. CV, Equites DCCXXVI.*] Ille *Tacito* Imp. floruit, eique [*de vocabulis rei militaris*] *Libellum* inscripsit. *Hesychius* (35) *Λεγεὼν πλῆθος στρατιῶν ἢ ταγματῶν ἐξ ἑξακισίων ἐξήκοντα ἐξ.* *Suidas* (36) autem *Λεγεὼν ὡς τὸ Ῥωμαῖοις ἐξακισίλιοι στρατιῶται. Legio apud Romanos sex millibus militum constans.* Adde patet ab *Augusto* *Romani* Imperii conditore, ad ejus usque terminum, *Legionem* sena millia (et eo amplius aliquando)

(29) De re militari; Lib. II. Cap. II. (30) Cap. VI. (31) Lib. XIV.
 (32) Digest. Lib. XLIX. Tit. XVI. (33) De re militari, Lib. Cap. VIII.
 (34) Lugduni Barav. ex officina Plantin. CIIOXCII. pag. 291. (35)
 Voce *Λεγεὼν*. (36) Ibi.

aliquando) continere. Haec de numero Militum in *Legione plena* hactenus.

A D Legionum altero loco numerum descendamus, et quotus ille fuerit, eodem tempore, quoad ejus fieri potest, investigemus. Diversis temporibus diversum fuisse constat, et necesse est; prout Bella nunc gravia, nunc plura postularent, aut pace parum opus essent milites. Ex hac varietate de populi *Romani* variis aetatibus, ut et in eorum singulis de ejus robore, uno conspectu sed et amoeno, possumus aliqua ex parte judicare.

ROMULI sicut dictum est, primo fuit Legio tantum una: Deinde, in duplum aucta Civitate, binae. Tametsi *Milites Romani* (37) ad quadraginta mille, et eo amplius sub *Romulo* auferentur; tametsi [*omnem militarem disciplinam, artemque bellandi*] *Tullius Hostilius* a (38) *Floro* condidisse tradatur; Legionum tamen numerum, sub Regibus, ultra binas augeri nullus invenio.

IN omnibus auctoribus, ait (39) *Vegetius*, invenitur, singulos *Consules* adversus hostes copiosissimos, non amplius quam binas duxisse Legiones, additis auxiliis Sociorum. Tanta in illis erat exercitatio, tanta fiducia, ut cuius bello duae Legiones crederentur posse sufficere:] quo nihil a vero magis alienum. Nam e diverso *Dionysius*, Auctor gravissimus, in Bello contra *Volscos*, (40) Κι δὲ δέκα στρατιωτικὰ τάγματα ἐξ ἀνδρῶν τετρακισχλίων ἑκατον. Τῶτων τετὰ μὲν ἑκατὸν τῆς ὑπᾶτων ἑαβεν καὶ τῆς ἰππέων ὅσον ἑκάστω περὶ περὶ δὲ. Decem, inquit, Legiones conscriptae sunt, --- ex his Consules utrique ternas acceperunt, et Equitum quantum unicuique distributum est.] *Livius* (41) de eodem Bello [Legiones decem effectae sunt. Ternae inde datae Consulibus: quatuor Dictator usus est.] Plures saepe numero fuisse Legiones certissimum

(37) Dion. Halicarn. Antiquit. Roman. Lib. II. Cap. XVI. (38) *Liv.* I. Cap. III. (39) Lib. II. Cap. IV. (40) *Dionys.* Hal. Antiqu. Roman. Lib. VI. Cap. XLII. (41) Lib. II. Cap. XXX.

certissimum est, et earum magna ex parte duas tantum sub imperio Consulum, reliquas Proconsulum, Praetorum, Propraetorum, Praefidum, Legatorumve mandatis obsequi.

Q. Fabio quartum et M. Marcello tertium Cofs. A. U. Cond. circiter 538. [*Duodeviginti Legionibus bellum geri placuit.*] (42)

Fulvio et Sulpitio Coss. id est, A. U. Cond. circiter 541, [*Tribus et viginti Legionibus Romanis bellum terrae marique gestum.*] (43)

Ante praelium *Pharsalicum* erant *Caesari* Legiones X, *Pompeio* XI; praeter auxilia quamplurima. (44)

Cassio et Bruto, cum *Antonio et Octavio Caesare*, pugnam inituris (45), erant pariter utrinque Legiones XIX. in summa XXXVIII.

Octavio Caesari, devicto *Lepido*, Legiones erant quatuor supra quadraginta. (46)

Eidem porro se a pugna *Aethiaca* (47) submisere Legiones *Antonii* numero XIX.

Octavio rerum *Romanarum* undique potito, (reformata jam militia, et militum in Legione, quavis numero ad sexies millesimum aucto) Legiones (48) erant XXIII; vel ut alij volunt XXV.

Sub *Tiberio* (49) Legiones erant XXV. *Neroni*, tradente *Tacito*, Legiones erant quinque supra viginti: praeter alias Legiones duas *Classicas*, et in urbe XII. cohortes. Fuerunt igitur, ex *Lipsij* (50) calculo, civiles ei copiae, Legionum circiter XXX.

Eundem *Adriano* fuisse numerum, ex celebri illo *Favorini* dicto manifestum est.

Dionis Cocceiani aevo, i. e. Imp. *Alexandro Severo*, Legiones (48) erant XXIX.

A T

(42) Livium, Lib. XXIV Cap. XI. (43) Lib. XXVI. Cap. I. (44) Appianum de Bellis civilibus Lib. II. (45) Lib. III. (46) Plutarchum in Antonio (47) Plutarchum in Antonio (48) Dionem, Lib. LV, (49) Taciti Annal. Lib. III. (50) Analesta ad Militiam Romanam.

A T omnium maxime Lapidēs ij sunt aestimandi, quorum alter *Capitolinus*, alter *Romae* apud *Maffaeos*, numerum et nomina exhibent Legionum: Horum Inscriptio-nes cum productis nominibus, accurate magis, quam unquam vidi, impressas, in medium feram.

Romae, in *Capitolio*, *Columella* rotunda.
Nomina Legg.

II. AVGuſta.	I. ADIVTrix.	III. SCYTHica.
VI. VICTrix.	III. FLAViana.	XVI. FLAViana.
XX. VICTrix.	VII. CLAVDiana.	VI. FERRAta.
VIII. AVGuſta.	I. ITALICa.	X. FRETEnfis.
XXII. PRIMigenia.	V. MACEDonica.	III. CYRENaica.
I. MINERvia.	XI. CLAVDiana.	II. TRAIana.
XXX. VLPiana.	XIII. GEMina.	III. AVGuſta.
I. ADIVTrix.	XII. FVLMinatrix.	VII. GEMina.
XIII. GEMina.	III. GALLICana.	III. ITALICa.
I. PARTHica.	II. PARTHica.	III. PARTHica.

Qui ſequitur Legionum Catalogus, trium numero auctior eſt.

II. AVGuſta.	II. ADIVTrix.	III. SCYTHica.
VI. VICTrix.	III. FLAViana.	XVI. FLAViana.
XX. VICTrix.	VII. CLAVDiana.	VI. FERRAta.
VIII. AVGuſta.	I. ITALICa.	X. FRETEnfis.
XXII. PRIMigenia.	V. MACEDonica.	III. CYRENaica.
I. MINERvia.	XI. CLAVDiana.	II. TRAIana.
XXX. VLPiana.	XIII. GEMina.	III. AVGuſta.
I. ADIVTrix.	XII. FVLMinatrix.	VII. GEMina.
X. GEMina.	XV. APOLLinaris.	II. ITALICa.
XIII. GEMina.	III. GALLICana.	III. ITALICa.
I. PARTHICa.	II. PARTHICa.	III. PARTHICa.

INSCRIPTIONES has *Dionis* aëvo posteriores esse, palam est ex eo, quod plures utraque Legiones habeat, quam ab illo memorentur; unam scilicet *Capitolinam*, *Maffaeanas* quatuor. Hae de Legionum numero Dissertationem claudunt; quando nihil amplius hac de re apud *Historiae Romanae* Conditores observare contigit.

HAEC, ex fidei bonae Auctoribus et Lapidibus accepta, notatu digna praebent quam plurima.

Primo, sub Consulibus plures eodem tempore fuisse Legiones, quam sub Imperatoribus; et sub Regibus omnium paucissimas.

Deinde, sub Consulibus plures in Bellis Civilibus, quam externis.

Deinde, sub Consulibus minus certum earum esse numerum, et Copias magis variari, quam sub Regibus aut Imperatoribus.

Deinde, sub Imperatoribus, numerum quasi solennem, ut ait *Lipsius*, esse XXX circiter Legionum.

Deinde, nemini unquam hominum plures fuisse Legiones, quam *Octavio Caesari*; uti nemini unquam Romanorum, ex Sententia (51) *Lipsij*, Militiam florentiorem, quam *Trajano*.

Postremo, ex uno Legionum numero, de viribus exercituum, minime posse recte concludi.

BINI hic Canones sanciri possunt, qui in *Romana* Historia, rei praesertim militari intellegendæ, usui erunt non exiguo. Horum primus est: *Ubi militum numerus in exercitu, nullus autem Legionum numerus exprimitur, (qui plerumque Appiani mos est) ut exercitus ad Legiones reducatur, advertendum est illius accuum, et in eo quotus solet esse militum in Legionem numerus: Ducto enim eo in militum totius exercitus numerum, emerget in eodem Legionum numerus. e. g. Luculli contra Mithridatem exercitus*

N

fuit

(51) Analesta ad militiam Romanam.

fuit (tradente (52) *Appiano*) Peditum 30,000, Equitum 1600 : id est (dato in singulam Legionem numero 6200, qui mistis auxilijs fuit istius aevi militum in Legionem numerus) Legionum quinque. Septuaginta millium exercitus a *Boadicia* (tradente (53) *Tacito*) occisus est; id est, datis, secundum istius seculi morem, unicuique Legioni 12000, sex circiter Legiones.

CANON alter est, *Datis in Legionem cujusvis saeculi militum, una cum Legionum in ejusdem saeculi exercitu numeris, oriatur inde militum in eo exercitu numerus.* Hinc patet *Romuli* milites, Legionem primum una comprehensos, non excessisse 3000, vel secundum *Plutarchum* 3300. Deinceps, admissis *Sabinis*, et cum Civitate duplicata Legionem, 6000, vel 6600. Nec quidem plures, etiamsi (quod supra diximus e *Dyoniso*) cum ex hominum conspectu sublatus hic esset, erant *Romae* Milites 45,000. In Bello contra *Volsos*, *Aequos*, et *Sabinos*, cum X Legiones essent, et in omni Legionem 4000 Milites continerentur, Militum numerus 40,000 esset, necesse est. Sub Imperatoribus cum Legiones fere XXX, numero aequabant, Milites, quoties illae plenae erant (ducto scilicet 30 in 6500) 195,000, vel 200,000 plus minus habuere : et additis Sociis, quorum erat aequalis numerus, 400,000. Haec Imperii fuit *Romani* Magnitudo.

DE *Legionibus Romanis* ea sunt quae habui dicere : quibus absolutis, optari restat, Te, ut moris fuit *ἑρπυτῆσι*, ita semper *ὑψιπέδῃσι*.

Iscae Dunmoniorum,
Idibus Maiis MDCCXIII.

(52) *Appianum de Bellis Mithridaticis*, (53) *Annalium Lib. IV.*